Docto, pio, Sancto, Amico Johanni Hesso, Amico Charissimo. Se Ao 1525.

45/

S.P.D. Eo testimonio est Hessus meus homo longè officiosissimus praesertim in negotiis amicorum, in re honesta conjuncta cum pietate. Age explica officium ingenii tui, hoc est seduli et amici hominis. Uxor queritur, Sim Croto ne? nō uxor queritur. Cui? Croto, non sed alter Croto, me tuo Croto longè ditiore, formosiore, meliore, etenim si amicorum eadem mens, idem animus, idem velle idem nolle, cui non sit alter ego Jacobus Fuchsius, quo nemo mihi unitus est amicitia, et nemo melius de me meritus. Audi quaeso, mi Hesse, pulchrum amicitiae facinus, is nuper ad me venit comite Joachimo nostro Charissimo solum salutandi causâ, et videndi qui viverem apud Sarmatas. Jam cogita locorum distractum, horum temporum difficultatem, pericula viarum, hanc hominum insaniam, venit tamen et Crotum suum videre voluit ipse alter Crotus. Cum in longas moras colloquia producimus, conqueritur mihi bonus vir veterem suam querelam de viduo lecto, de sociâ vita, de Veneris impatientia, de periculo animae, quod non liceat per insaniam Episcoporum collocare sibi Canonico consortem foeminam Christianâ copula, et consilium illud aperuit simul, quod et tu tacebis. Distrahere intendit canonicatus suos et jam comparatem habet, qui numerabit ultra tria millia aureorum, quibus comparabit aedes et agros, pecudes et armenta, ad comparandum victum necessarium more aliorum

Nobilium. Verum hic iterum obstat impedimentum nempe
insolentia Germanarum puellarum refugientium matri-
monium sacerdotale, quasi et ipsæ non sint ex genere sa-
cerdotali, cum dico de Germanis puellis, volo intelligas de Fran-
conibus et vicinis populis, nosti supercilium. Cupit enim
consortem genere hoc est, nobilem. Cui ordini imprimis
sunt cristæ. Quid animi mihi fuisse putas, cum in Italia
audio conquerentem amicum? Crede mihi acerba infeli-
citas est, utinam possim aliquo modo succurrere, ubi re-
cessit flecto et reflecto animum in partes varias, tandem
tu succurristi, cujus officium implorarem. Sunt Slesicæ
puellæ inter Germanas forma et moribus fere nobili-
ores, et nunc in contrahendo matrimonio minus supercili-
osæ exerce officium pietatis, quære aliquam probam ve-
nustam, etsi non admodum divitem, nil oberit multum.
Venustam volumus, qualis est uxor Heideckianna inde-
formis perpetua nausea est plerumque adulterii occasio,
civem etiam non respuimus, modo sit honesta venustu-
la. O si parem Heideckiannæ nobis procurares, po-
teris autem si velis, sed vis, quia potes. Princeps Fri-
dericus Lignicensis non erit vulgaris author et ad-
jutor in negocio tam sancto, tam necessario. non est
mihi res commissa, ut tibi scribam, nil te commoveat id,
si ille nunc ignoret, ignorantia fecit, ne nobis illud
consilii in mentem venerit, ubi videris tibi rem ex-
pediwisse et tentasse animum puellæ et cognatorum
conducto iniuncto significatores et mihi fortuitis ta-
bellarius -

bellarius -

tabellariis hoc officio omnes Fuchsos demereberis. Prin-
ceps hinc abest menses duos; Rustici furunt, ut Germania
Episcopus Sambiensis, dentibus concerpetur, si venerit in manus
rabidorum; In quadam arce obmanit nobilitas in maximo
discrimine versatur simul et nos. Globum unum furio-
sorum consilio dissolvimus, periculum est omnia commoveri.
Raptissime Kingisbergae Borussiae XXII. die Septembr.
Anno rusticorum primo; alias plura et miranda.
i.e. Anno M.D.XXV.